FOSSILIVM METALLA ET RES METALLICAS CONCERNENTIVM GLEBAE

SVIS COLORIBVS EXPRESSAE

QVAS

DESCRIPSIT ET DIGESSIT

D. CASIMIRVS CHRISTOPHORVS SCHMIEDEL

IMPENSIS

IOHANNIS MICHAELIS SELIGMANNI

CHALCOGRAPHI NORIMBERGENSIS.

NORIMBERGAE MDCCLIII.

Erz Stuffen und Berg Arten mit Farben genaü abgebildet.

beschrieben

dürch

Casimir Christoph Schmiedel:

verlegt ünd heraüsgegeben

dürch

Johann Michael Seligmann,

Küpferstecher in Nürnberg.

Nürnberg im Jahr 1753.

Tabula I.

Argentum nudum, et idem rude; candidum, micans, vna cum Marcaſita teſſelata ac informi, atque Pyritis flaui, aeroſi, portionibus, inter Quarzum cryſtallinum, et Spathum tuberculoſum et ſquamoſum, ſquamis ſplendentibus; effoſſum Schemnizii Hungariae.

Explicatio.

Vna ſaltem ſuperficies glebae huius argentiferae nunc exhibetur, quae interiora cauernae reſpexit; ita enim formari ſolent venae, quando fiſſuris notabilioribus dehiſcunt. Argentum nudum in iis locis, qui littera

a) ſexies indicantur, per glomeres diſperſum iacet, et hi partim filis inter ſe conuolutis, partim cellulis fauaginoſis conflantur. Metallum ibi totum purum eſt, et congenito colore reſplendet, excepto quod in loco, qui littera

a†) ſignatur, fuligine metallica nigra obducatur maximam partem, ibi vero, vbi littera

a*) adponitur, lamellas aliquot verſicolores, ex caeruleo et rutilo colore reſplendentes, admixtas habeat. Infra ad litteram potiſſimum

b) Argenti rudis, candidi, micantis, aliqua pars conſpicitur, cuius venam integram Tabula IV. demonſtrabit. Adſpergitur etiam paſſim ad litteram

c) et alibi, Minera Marcaſitae tam teſſelata, quam ſolida ſiue informis: atque demum littera

d) Pyritis aeroſi, ſolidi, flaui portio notatur, cuius miculae minutiſſimae pluribus locis adparent.

Quarzum porro, quod littera e) deſignatur, quantum inter c) a†) c) et b) medium eſt, cryſtallis minutiſſimis aſperum eſt, quarum pleraeque ſexangulares ſunt apice acuminato, ſitum mox verticalem, mox obliquum aliumue tenentes. Maxima harum cryſtallorum pars,

vna cum ipſo Quarzo, gryſeo colore perfuſa deprehenditur, a venae metallicae argentiferae proximitate.

Spathum f), quod et ſubſtantia et puritate, absque examine etiam, quod vix fallit inſtituto, hic multum a Quarzo differt, et inter c) d) a) a*) c) c) a) per ſuperficiem extenditur, ex luteolo colore obſolete albeſcit, et in cruſtas tuberoſas eleuatur. Singula tubercula ſquamis componuntur, quae margaritarum in modum reſplendent. Spathi eiusdem ſquamae quaedam ſolitariae inter a†) e) et c) diſperſae iacentes inueniuntur, id quod aliquam glebae gratiam hac etiam ex parte conciliat.

TABVLA II.

Plumbago metallica tam teſſelata, quam areis latis diſtincta, et eadem verſicolor, inter Quarzi ſtrata elegantia, quae ex parte virideſcunt, ad petram mollem ex crypta, Laurentius trans amnem vocata, prope **Conradsdorf**, ditionis Freybergenſis in Saxonia electorali.

Explicatio.

Triplex fere varietas plumbaginis metallicae in hac gleba occurrit. Ea, quae tabulato cryſtallino, quod mediam venam diuidit, incumbit in latere ſiniſtro, et littera a) notatur, teſſeras habet exacte cubicas, vndique laeuigatas et illaeſas. Illa vero, quae dextrum latus ſuper tabulatum iſtud occupat, vbi itidem littera a) addita eſt, et ea, quae glebae medium tenet, bracteis ſeu areis ſaltem magnis, quadrangulis tamen, fiſſilis eſt, nec adeo exquiſite in cubos diſponitur. Tertia denique, quae in vtroque latere ſtatim infra illud tabulatum haeret, et itidem littera a) a) deſignatur, extus non amplius ſplendida eſt, ſed cruſta obſoleta, paſſim ex violaceo, purpureo et flauo colore variegata obducitur, quod ab halitu quodam minerali profectum eſt.

Quarzi tabulatum ipſum ſuperius, littera b) b) indicatum, pluribus laminis componitur, quae vario modo a ſe inuicem recedunt,

et

et rurſus vniuntur, quod iucundum viſu exſiſtit. Vtraque ſuperficies laminarum minutiſſimis cryſtallis incruſtatur, quarum trunculi penitus latent, et apices modo prominent. Similem omnino indolem gerit ea Quarzi portio, quae in medio glebae, infra tabulatum iam deſcriptum, conſpicitur, et adeo eleganter fimbriata eſt, vt criſpa folia ferme imitetur. Fluor, vt vocari ſolet, ſtatim ad corium venae in ſiniſtro latere occurrens, dilute virideſcit, et leni igni impoſitus, Lapidis Bononienſis in modum, in tenebris lucet, ſiue phosphoreſcit.

Corium denique, c) c) quod infimum locum in figura hic occupat, petra eſt alba mollis et quaſi farinoſa.

Superficies huius glebae poſterior, quae figura non exprimitur, copioſum Quarzum poſſidet, in cellulas formatum, quibus plurima plumbago metallica interſperſa eſt, et tota fere calce gryſea obtecta deprehenditur, quod halitui minerali, qui plumbaginem praecipue ita mutauit, etiam tribuendum eſt. Pondus totius maſſae libram vnam cum ſex vnciis et duabus drachmis aequat.

Tabvla III.

Pyrites aeroſus, flauus et verſicolor, inter Quarzum lactei coloris, et ſaxum picem referens, ad petram talcoſam virideſcentem, ex fodina, quae Aquila Brandenburgica vocatur, ditionis Aurocoronacenſis, in terris Baruthinis.

Explicatio.

Pyrites hic verſicolor inter illas mineras, quae Caudae pauonum vocari ſolent, eminentem locum obtinere poteſt; ſiquidem ea ſuperficies, quam littera

a) denotat, ex violaceo, caeruleo, viridi, purpureo, roſeo, fuluo et flauo adeo eleganter variegata eſt, vt amoenitate oculos

non parum delectet. Tantus etiam ſplendor eſt colorum praeſertim caerulei, vt albam omnino lucem, quam figura bene expreſſit, non vero amplius flauam, pyriticis aeris mineris alias communem, diſpergat. Miram colorum varietatem halitus minerales, praeſertim acidi & vitriolici, dum inter minimas rimas ſeſe inſinuarunt, huic glebae conciliauerunt. Reliqua Pyritis pars, quam littera

b) indicat, intenſe flaua eſt, et Ochra Ferri ex ruffo fuſca obducitur pluribus locis.

Quarzi fluores c) c) c) c) lacteum albiſſimum colorem praeſeferunt, Zonis autem gryſeis diſtinguuntur, et viridi aeris conſperguntur in illis glebae ſuperficiebus, quae in icone non conſpiciuntur.

Petra virideſcens talcoſa littera d) monſtratur, integram poſteriorem glebae partem occupat, et Ochram ruffam vna cum punctis nigricantibus gerit, Ferri naturam prodentibus.

Saxum picei coloris et ſplendens, videtur neque penitus inane, neque ex eorum genere, quae ad Sterile nitidum referri debent, ſed ex Ferri et Pyritis miſcela conflatum eſt, vtriusque enim veſtigia euidentia ſatis exhibet. Indicatur illud Saxum littera e) e) ad ſiniſtram, quam non ſolum totam tenet, ſed et ad dextram circa Pyritem b) iterum conſpicitur.

Infimam ſuperficiem huius glebae peruadit amplus flos, vt vocatur, Pyritis intenſe flaui. Gleba integra pondere ſuo libram mediam cum vncia vna attingit, et effoſſa eſt vltimo trimeſtri anni 1742.

TAB. IV.

Argentum rude candidum micans, cui admiſcetur Argentum nudum, Marcaſita & Pyrites aeroſus flauus, in Quarzo gryſeo & videſcente ad petram duram albicantem, erutum Schemnizii Hungariae.

Explicatio.

Gleba, quam hic adumbramus, eadem quidem eſt cum Tab. I. ideo tamen bis pingitur, vt ſuperficies, quae in figura prima infimum locum occupauit, et ad litteram b) ibidem obſcure indicata fuit, nunc penitus in conſpectum prodeat, et venae argentiferae latitudo ac directio exactius pateat. Vena igitur, vbi ditiſſima eſt litteris

a) b) c) d) demonſtratur, et ad litt. a) b) facile pollicem vnum cum dimidio ſuperat, ad litt. c) d) vero minimum, pollicem medium aequat. Si denique Quarzum, quod metalli compos eſt, et cuius termini litteris

e) f) notantur, huc etiam merito refertur; venae dimenſio duos pollices Rhenanos pluribus locis explet.

Subſtantia minerae ſolida et ſatis vniformis eſt, paſſim tamen praeſertim verſus latus dextrum Marcaſitae et Pyritis flaui portiones intermixtae ſunt. De caetero illa in vniuerſum in minutiſſimas bracteolas laeuigatas et ſplendentes diffringitur, vnde nomen ſortitur, et a congeneribus diſtinguitur. Miculae ipſae pluribus in locis caeruleſcunt luci obuerſae, aliae vero albam lucem reflectunt, reliquae ex nigro corruſcant.

Argenti nudi glomeruli in hac ſuperficie etiam adparent circa litteram b) & ſubtiliſſimis filis conflantur, inter ſe implicitis. Copioſiores et ampliores eiusmodi in ea glebae ſuperficie diſponuntur, quae nunc ob ſitum incommodum neque curatius exarari, neque penitus in conſpectum produci potuit, ſed ſaltem litteris h) h) obiter indi-

Quarzum albidum eſt, et hinc inde virideſcit, vbi vero metallo praegnans eſt, in gryſeum ſeu cinereum colorem vergit. Praeſertim eo in loco, qui littera e) inſignitur, conſpicuus venae argentiferae ramus Quarzum peruadit, et vsque verſus plagam, littera g) notatam penetrat.

Corium, quod litterae g) g) deſignant, petra eſt dura, cornea et albicans, cui parca quaedam Ochra flaua admiſcetur.

Litterae i) i) i) additae ſunt, vt denotent glebae faciem eam, quam Tabula I. iam fuſius explanauit.

Auerſa glebae ſuperficies, quae tota occultatur, eadem omnino continet, quae de hac, quam deſcripſimus, dicta ſunt, eadem etiam eſt venae amplitudo, idemque habitus.

Glebae huius, et magnitudine et rerum varietate commendabilis, pondus libram vnam communem, cum vncia dimidia aequat.

TAB. V.

FIGVRA I.

Argentum rude, ex purpureo fuſcum, partim fruticulorum forma ſuperficiei adhaerens, partim petrae quarzoſae et durae, inerti, permixtum, vtrimque concluſum corio molli, talcoſo, virideſcente, ex crypta, quae Fortuna donata vocatur, ditionis Freybergenſis in Saxonia electorali.

Explicatio.

Gleba haec, etſi mole non ex maximis ſit, et pondere aliquot vncias ſaltem attingat, dignitate, elegantia et raritate tamen praetioſiſſimae vix cedet. Rariſſimum enim exemplum eſt, Argentum rude rubrum ipſa ſua ſubſtantia in dendriticam formam coiviſſe.

Vena, quae ſingularia haec continet, in icone litteris a) b) c) d) praeſertim definitur, et vbi latiſſima eſt, pollicem vnum fere aequat. Conſtat illa ex Argento rudi fuſco, petrae iner-

tis,

ti, cui pauca Quarzi quantitas commiſcetur, immerſo, quod vbi diues eſt, propter denſitatem magis laeuigatum reliqua petra adparet. In medio autem venae ſupra reliquam ſuperficiem eleuati occurrunt fruticuli tres omnino, perfectiores, argenti rudis, ex purpura in fuſcum colorem vergentes. Eorum forma ſatis apte Fuco membranaceo dentatis foliis comparari poteſt; habitus vero ſpecialis melius ex ipſa icone, quam ex deſcriptione cognoſci poterit. Singula quaſi folia ex ſtriis rectis conuergentibus formantur, et apices praeſertim intenſiſſimi Rubini vel Granati in modum eleganter perlucent. Rudimenta etiam aliqua fruticulorum ſuperſunt hinc inde, praeſertim inter extimos et medium fruticulum, litteram nempe c) et g), minus tamen perfecta exſiſtunt, vel inter caedendum deſtructa fuerunt. Fruticulum in latere dextro extimum, litterae c) proximum, vena parua Quarzi diuidere videtur.

Litteris e) e) petra indicatur, iners, ſed admodum dura, albicans et paſſim perlucens, quae propter ſterilitatem eaſue qualitates apud metallicolas eorum locorum Gneis vel Geneiss cognominatur. Hic vero paſſim maculae rubeſcentes diſſeminatae per eandem deprehenduntur, quae metalli praeſentiam adhuc produnt.

Coria bina litteris f, & g) indigitantur, quae petra molli formantur, illud vero praeſertim, quod littera g) monſtrat, virideſcens eſt, et talci albi miculis copioſe reſplendet.

Auerſa glebae pars eandem omnino venae argentiferae latitudinem exhibet, petra vero metallo impenſius fere ſaturata eſt. Bracteae etiam Argenti rudis rufi copioſiſſimae ſuperficiei adſperſae ſunt, plerumque autem minutae et informes; intermiſcentur tamen paſſim quaedam, portiunculas fruticum denticulatas adhuc imitantes, duae praeſertim e regione loci, qui littera c) in icone demonſtratur, ramulos ſatis elegantes praeferunt. Omnes tamen et magnitudine et integritate iis poſthabendae ſunt, quas pinximus.

TAB. V.

FIG. II.

Argentum rude, ex purpureo fuſcum, tam teſſelatum quam tuberculoſum et informe, inſidens

Echino cryſtallino, effosſum Schemnizii Hungariae.

Explicatio.

Cum ſpatium ita permiſerit, adiunximus glebam exiguam, quidem, elegantem tamen. Argentum rude fuſcum ibi ſinceriſſimum et ſplendidum eſt, vbi litteris

a) a) a) notatur, et mox per glomeres tuberoſos, mox per teſſeras diſponitur, quae plerumque aliquot latera imperfectiora gerunt, interdum vero ſexangulares ſunt vtrimque truncatae. Color in vniuerſum ex fuſco vel intenſe violaceo rufeſcit, contra lucem vero extrema ſaturate purpurea ſunt, et perlucent, reliqua paſſim variis coloribus ludunt. Litteris b) b) notantur Cryſtalli ſexangulares, variis directionibus in figuram ſubrotundam diuergentes, quam ob cauſſam eiusmodi glebae Echini nomen adeptae ſunt, et a metallifoſſoribus eorum locorum Kræuſel vocantur. Cryſtallorum corpora hic longe prominent, latera inaequalia, et apices breues gerunt, hinc inde etiam ſordibus terreis in ſuperficie conſpurcantur.

Quod infra littera c) indigitatur, Quarzum quoque eſt, extus vero ſordibus luteolis, farinoſis quaſi, vndique obductum.

Auerſa glebae pars glomeres ſatis inſignes Argenti rudis rufi continet, et Cryſtalli quoque in ſimilem hiſpidam formam coeunt.

Ponderoſiores ſimilis fere ſtructurae et eiusdem metalli glebas alio loco exhibebimus.

TAB. VI.

Ferrum nigricans, et micans, per ſtirias diſpoſitum, ex fodina, Lucifer dicta, prope Roethenbach, ditionis Bonſideliensis in terris Baruthinis.

Explicatio.

Gleba haec ad rariores Ferri mineras pertinet, neque in ea fodina, quae olim plures varietates elegantes reddidit, frequenter amplius occurrit. Maximam partem conſtat ex ſtiriis, varie quidem, ſed plerumque ad lineam rectam poſitis, quae tamen paſſim transuerſis aut obliquis aliis coniunguntur. Intermiſcentur cauernae ſimili ratione et lamellis compoſitae. Ea pars, quae nunc in pictura infima eſt, & cui inſiſtit gleba, ea potius videtur, quae reliquae venae vel petrae adhaeſit, & tunc illa, quam pictor ſummam fecit, infima fuit. His inductus ferme diceres, glebam ex elemento aqueo ortam fuiſſe, quod etiam cruſta, toti fere glebae inducta, magis adhuc confirmare poteſt. Stiriae nempe iſtae cortice quodam cinguntur, qui extus mox reticulum format, cui fuligo modo intenſius modo dilutius fuſca, aut nigricans ſeſe inſinuauit, mox in ſquamas, argenti in modum ſplendentes diſponitur. In quarundam ſtiriarum apice ſquamae in elegantem papillam colliguntur, qualem magnitudine aucta ſub littera b) infra figuram primariam adpinxi. Diffracta cruſta laminis nitidiſſimis conflata adparet, quae ſitum determinatum vix quidem ſemper ſeruant, aliquoties tamen ita fere a me deprehenſae ſunt, vt ex aduerſo ampliata forma a) exhibentur.

Interior glebae ſubſtantia minera mollis, friabilis et nigricans eſt, quae in figura primaria circa eum locum, vbi littera

a) ter ponitur, potiſſimum in conſpectum prodit. Sicuti littera

b) ter cruſta notatur, vbi partim circa ſtirias, partim circa cauernas ſplendida ambit. Littera vero

c) itidem ter, vbi eadem cruſta ſaltem reticulata eſt, & Ochra tam dilute quam intenſe fuſca conſpurcatur.

Auerſa glebae ſuperficies non minus elegans eſt, et ſtirias breviores quidem habet, quae tamen cryptam quaſi ſubtererraneam, ali-

quot tabulatis et cameris diſtinctam ſimulant. Cauernae etiam quaedam Ochra laetiſſime flaua replentur, et gratiam viſui aliquam adferunt. Quia vero micis ſplendentibus rarius praeditae ſunt, ſelegit pictor eam faciem, quam videmus.

Gleba igitur nullibi niſi in ſupra indicato infimo nunc loco adhaeſit petrae; de caetero diues, et effoſſa eſt anno 1749. pondere decem Vncias cum quadrante aequans.

Tab. VII.

Pyrites aeroſus flauus, et idem fuſco colore infectus, cauernoſus, Viridi aeris aceroſo, raro, et Ochra Ferri laetiſſime flaua conſperſus, ex fodina, quae Princeps Georgius Wilhelmus dicitur, ditionis Naylauienſis in terris Baruthinis.

Explicatio.

Fodina, quae hanc glebam reddidit, olim quidem iam inſtructa, ab aliquot annis autem inculta et ruinae proxima iacuit, vsque dum anno 1749. exeunte, de nouo culta eſt eo ſucceſſu, vt intra anni ſpatium, etiamſi petra ſatis dura ſit, et vena ipſi ſaepius arcte adhaereat, decem ad duodecim Centenarii minerae eius dignitatis, qualem nunc exhibemus, et totidem mediae bonitatis, vna cum minerae Ferri aliquot viginti modiis, quos Seidlein (*) vocant, eruti ſint.

Gleba ipſa maximam partem ex Pyrite intenſe flauo et ſolido conſtat, quem littera a) a) indicat. Vbi vero rimoſus eſt, fuſcus color ſeſe ipſi induxit, et praeſertim circa litteram

b) b) in colorem piceum vergit, quod ob Ferri eminentiam factum eſſe videtur. Eadem etiam aeris varietas in ſuperiore et poſteriore ſuperficie copioſius adhuc occurrit.

Cauernis non ſolum, quarum aliquae ſat magnae ſunt, ſed etiam iis praeſertim locis, qui littera

c) quin-

(*) *Seidlein* metallicolis Montis piniferi vocatur menſurae genus, minerae Ferri computandae adaptatum, quorum vnumquodque quatuor Centenarios plerumque ponderat, et pro minerae bonitate a quinque groſſis vsque ad tredecim venditur.

c) quinquies ſignantur, Ochra Ferri inhaeret, quae laetiſſime flaui coloris eſt. Huic vel ſuperſternitur vel immiſcetur Viride aeris, quod, quia copioſe interdum absque Ochra comite per totam glebam, in primis vero circa litteram

d) d) diſperſum eſt, glebae hilarem concilíat faciem, dum vltra praegnantem ſubſtantiam eiusdem etiam exeſas exuuias duplici hac forma exhibet. Viride autem aeris non fuliginis aut cruſtarum in modum, vt alibi fere ſolet, incumbit, ſed vegetante quadam vi excreuit in fruticulos et ceſpites tenues, ex aciculis diuergentibus conflatos, et inſtar vitri puriſſimi ſplendentes, qui ſi armato oculo inſpiciuntur, viuidiſſimum pratum et frutetum imitantur. Vt eius rei aliquod exemplum ſit, vnicam cauernam, naturali maiorem, ſub littera

e) adpinxi, vbi cauernulae interiora Ochra flaua obducuntur, ceſpites vero minutiſſimi imponuntur, et maiores vlterius exſtant, omnes intenſiſſimo virore reſplendent.

Pondus glebae tredecim attingit Vncias, et quod ſupereſt.

Tab. VIII.

Stibium informe et aceroſum, gryſeum ac verſicolor, ad Quarzum albicans, ex Cuniculi fine in Stibii fodina Schliksthalii ad Montem, a Lupo nominatum, inter Hahne et Schvvenke, milliare vnum diſtante a Strasberga, ad Hercynium montem inferiorem.

Explicatio.

Sicuti pulchritudine et forma, ita raritate multum commendabilis eſt haec gleba; ſiquidem fodina ob aquarum copiam nunc relicta iaceat, et id genus minerae ibi ſaltem deprehenſa ſit, vbi aquae ſubterraneae vias per venam ſibi parauerant.

Potior glebae pars conſtare videtur ex Quarzo albicante, pellucido, cui ſuperinducitur partim Stibium informe, partim aceroſum, quod vltimum, in ſuperficie praeſertim anteriore, modo in aceruulos colligitur, modo tenuius inſpergitur, et aciculis minutiſſimis, absque

vllo ordine diſcumbentibus formatur, a quibus nomen Federerz ortum ſumſit.

Stibium informe circa eum locum, quem littera

a) a) notat, dominatur, et mox gryſeum mox verſicolor eſt. Viuidiſſimos vero colores reddunt aciculae circa litteram

b) b) vbi caeruleus, purpureus, coccineus, viridis cum flauo aliisque intermediis, aureo, potiſſimum vero argenteo ſplendore refulgent, vt pictor ſcite expreſſit. Haec colorum miſcela non quidem a ſola ſpinularum coaceruatione, et inde pendente luminoſi radii diviſione pendet, ſed potius ab ipſis ſpiculis producitur, quod curioſius lente vitrea indagaui, et deprehendi, ipſa ſingulatim variis iſtis coloribus, ſi non ſemper omnibus, tamen plerisque infecta eſſe. Occurrunt interim quoque aciculae vnicolores, v. g. caeruleae, rutilae, fuluae vel aliorum colorum, interdum etiam gryſeae, fit autem tunc quoque, vt ipſa plaga, cui copioſe incumbunt, eundem omnino colorem oculis obiiciat.

Tubera paſſim exſtantia, glebae formam externam augent, ex quibus illa, quae littera

c) ter indicantur, Stibio aceroſo denſe cinguntur, vt villoſa quaſi adpareant.

Num vero eadem preſſa flecti poſſint, et reſiliant, vt relatum accepimus, propter dubia quaedam adfirmare nolumus.

Quarzum eo praeſertim in loco, qui littera

d) ſignatur, conſpicitur, vbi nempe gleba vnice adhaeſit, et obſeruari poteſt, Stibium verſicolor interiora Quarzi etiam variis ductibus tranſire.

Littera denique e) ſpiculorum variam longitudinem directionemque aucta per lentem magnitudine demonſtrat.

Poſterior glebae ſuperficies ſimilis fere eſt deſcriptae, plures ſaltem ad ſiniſtram occurrunt glomeres Cryſtallorum minutiſſimarum, quarum apices obtuſae, latera vero inaequalia, modo quadrangularia modo quinquangularia ſunt.

Gleba haec ab Excell. D. D. LEHMANNO, Regis Boruſſiae Supremo rerum metallicarum Praefecto ad Cl. BEURERUM, Norimbergenſem, amiciſſimum nobis dum viueret, peruenit, a quo beneuole communicatam accepimus.

Tabula IX.

Aurum ſincerum cum Pyritis auriferi miculis et granis Argenti ruſi, Quarzo caeruleſcenti permixtum ad petram gryſeam corneam, ex AproBannya Transſylvaniae.

Explicatio.

Varia notatu non indigna elegans haec gleba exhibet. Aurum puriſſimum, intenſe flauum, inter hiatus Quarzi prorumpit, atque partim infinitam bractearum laciniarumque congeriem, miris modis implicatarum et criſparum imitatur, partim per glomeres in Cryſtallorum formas concreuit. Harum quaedam ſexangulae, quaedam octangulae, aliae multangulae, modo truncatae, modo vtrimque acuminatae deprehenduntur, lateribus magis minusque perfectis. Plurimum de Auro nudo haeret inter locum, qui litteris

a) a) a) a) definitur, vbi ad ſiniſtram iconis denſiſſimis acervulis, penitus ſinceris, incumbit, circa medium vero aliquot grana Argenti rudis fuſci admixta habet. Litteris

b) b) et quidem ſuperioribus binis, Quarzum ex caeruleſcente in nigrum vergens indicatur; binis autem b) b) inferioribus, petra reliqua gryſea, dura, quam paſſim farina luteola inficit. Vtrique variis locis non ſolum bracteae Auri nudi ſolitariae inſperguntur, ſed etiam Pyrites Auro praegnans, tam informis quam teſſelatus inhaeret, copioſos interdum per glomeres diſpoſitus, vt in loco, qui littera

c) notatur. Quarzum frequenter cauernulis praeditum eſt, quae cryſtallis minutiſſimis inueſtiuntur, in quibus Aurum interdum quaſi radicatur, interdum leuiter ſaltem incumbit, vt libere eleuari poſſit, puriſſimum itaque, cum adeo ductile exſiſtat. Vt Auri habitus diſtinctius intelligatur, portionem eius, lenticulae circiter magnitudini aequalem, pinxi per Microſcopium. Littera igitur

d) d) Multiplicem formam exhibent Cryſtallorum, ex mero Auro conflatarum. Litterae vero

e) e) e) Bracteas aliquot monſtrant, vario modo criſpatas, quarum infinitae fere varietates nec modum habent, nec pingi omnes poſſunt, his tamen exemplis ſatis declarantur.

Glebae pondus Vnciam excedit.

TABVLA X.

Vitriolum natiuum viride, per ſtrata diſpoſitum ad petram fuſcam, Ferro et Pyrite praegnantem, ex fodina, *Grauel* dicta, prope Schvvarzenbergam, Saxoniae ſuperioris.

Explicatio.

Vitriolum, quod adumbramus, intra terram iam formatur, et ſub hac forma ex puteo protrahitur. Per aceruos ibi locatur, et reconditur ſub Pyrite ſolido, qui Vitriolo et Sulphure ſcatet, ac Quarzo petraque friabili fusca comprehenditur. Huic demum ſummo loco incumbit Pyrites arſenicalis albidulus, in petra gryſea et virideſcente, corneae duritiei. Vitriolum ipſum parum ſaltem in caeruleum colorem vergit, maximam vero partem ſaturate viride eſt, atque ſic Ferri naturam prodit. Eo in loco, quem littera a) a) a) reſpicit, in cruſtam, medium pollicem fere craſſam, compingitur et puriſſimum eſt, extus ſaltem pauca flauedine conſpurcatum. Nondum tamen in Cryſtallos coiuit, exceptis quibusdam rudimentis angulatis minutiſſimis, quibus ſuperficies externa ſcabra redditur. Intus autem totum ſtriatum eſt, ſtriis ſubtilibus recta deorſum tendentibus. Simile ſed minus ſincerum, nec adeo diſtincte ſtriatum, per venas in ipſo lapide diſtribuitur eo in loco, quem obiter littera

b) b) demonſtrat. In alia plaga, quae in icone ſiniſterior eſt, et littera

c) no-

c) notatur idem haeret, ſed priori impurius, et terrae ita adhuc permixtum, vt gryſeum colorem magis inde nactum eſſe videatur; ſtriae hinc in hoc nullae adparent, ſed paruae modo miculae ſalinam indolem produnt. Pyritis ſubſtantia circa eam potiſſimum partem, quae littera

d) ſignatur maxime euidens eſt, in aliis vero locis, etſi adſit, magis obſcuratur. Petra ipſa, quam littera

e) e) definit, modice dura et arenoſa eſt, cui Ochra Ferri, ex fuſco lutei, magis minusue intenſi, coloris vbique fere permiſcetur.

In ſuperficie auerſa, cruſta Vitrioli natiui, puri et ſtriati alia, petrae incumbit, quae tam conformatione quam magnitudine illi, quam deſcripſimus, vix cedit.

Gleba haec paullo poſtquam extracta fuit, Anno 1754. picta eſt. Eiusmodi enim minerae temporis ſucceſſu ita ab aereo ſale alterantur, vt aliam penitus faciem induant, in farinam fatiſcant, vel penitus corrumpantur, etſi in ſicciſſimo loco ſerventur. Pondus eius libram vnam cum decem Vnciis aequat.

Tabvla XI.

Argentum nudum, filis craſſis in ramos vario modo figuratis fruticans, ad Quarzum lactei coloris, cui Plumbi Galena immiſcetur, ſuper petram corneam ex albo gryſeam, ex Argenti fodina Regiomonti Norvvegiae effoſſum.

Explicatio.

Eminet inter ſui generis glebas haec pluribus modis, praeſertim vero ob ſpecioſam formam, quam praefert. Argentum abſolutiſſimum eſt, etiamſi non vbique colorem conſuetum gerat, ſed

ab halitu ſubterraneo infucatum ſit pluribus locis, flauo et rutilo pigmento, ac ſi igne fuſum eſſet. Ne quis tamen artificium aut fraudem ſuſpicari poſſit, omne dubium eripiunt fila Argenti, frequenter Quarzo ita profunde immerſa eſſe, vt vnam cum eo conſtituant materiam; deinde teſſeras Galenae Argento penitus inniti, et eodem metallo adeo impraegnatas deprehendi, vt ſolertem naturae ſolius manum ſatis arguant. Argentum ipſum, quod littera

a) quater notatur, arboris cuiusdam vel vitis quaſi imitatur ſtipitem, qui aliquoties circumflectitur, et in copioſos ramos variae formae, Quarzo multipliciter implicatos finitur, quod icon melius quam verba declarant. Vnicus totius concrementi truncus eſt, quem littera

b) indicat, et ex Quarzo medius emergit inter Plumbi Galenam, illamque ita locupletat ſubſtantia ſua, vt albidulum colorem induat, quod circa litteram

c) omnium euidentiſſimum eſt. Truncus etiam mox bifurcus euadit, et adſcendendo ſenſim in ramos finditur, qui non ſolum inter ſe inuicem communicant, ſed et Quarzo, praeſertim verſus ſuperiora, penitus immerguntur, cuius exemplum littera d) ſiſtit. Pluribus vero aliis locis Quarzum, lactei coloris albiſſimi, in cubicas fere formas diſruptum, filis Argenti adeo implicatur et irretitur, vt elaberetur, niſi ita comprehenſum eſſet, quam rem littera

e) quinquies demonſtrat. Galenae Plumbi maxima pars infima tenet, quibus litterae

f) f) f) praefiguntur, plerumque cubica eſt, modo latis areis inſtructa, modo compactior et Argento largiter permixta. Quarzi vena, qua cuncta haec fulciuntur, et littera

g) g) indigitatur, alba eſt et ſolida, copioſisque venis Argenti in nigrum vergentis perfunditur.

Petra vero h) h) huic ſubiecta, ex gryſeo albidula eſt, et frequenter nigris ſtriis diſtinguitur.

Facies glebae poſtica non minus elegans eſt, et copioſas potiſſimum argenteorum ramorum anaſtomoſes oculis obiicit. Ibidem Galena modo caeruleſcit, modo Argento magis praegans eſt, ea, quam in icone proponimus. Formoſam hanc glebam fauori Excell. D. D. WAGNE-

RI

RI, Confil. Aulic. & Archiatri Baruthini, debemus, qui nobis ex fuis rerum naturalium Thefauris pingendam tradidit.

Tabvla XII.

Ferrum fufcum micans diues, mica in laminam politam compacta, ex fodina, *Fiducia in Deum* vocata, in *Monte Splendoris* prope Reichmannsdorf, circa Graefenthal, Territorii Saxo-Salfeldenfis.

Explicatio.

Parum frequenter occurrunt eiusmodi glebae, quae interim fi eruuntur, a metallifofforibus curiofe feruantur in vfus domefticos. Vtuntur enim iis loco fpeculorum, cui fini bene inferuiunt, cum aere non obfcurentur. Minera tota fua materie dura eft & micans, ex parte in lamellas fciffilis, non tamen manus inquinans. Extus uero ea portio, quam littera *a*) *a*) includit, vitri inftar fplendidiffima eft, et politiffimum planum efficit, fordibus fere omnibus expers, quod pictura vix adfequi poteft; etfi pictor egregie reliqua expediuerit. Ad latus et paullo retrorfum minutiora plana fplendentia ponuntur, fub litteris

b) *b*) *b*) quae fere fulgidiora maiore, non tamen ita continua funt, et fordibus rufefcentibus confpurcantur.

Reliqua minera, vt circa *c*) *c*) adparet, aeque ac poftica fuperficies, ex rufo fufca eft, micans, aft non refplendet, paffim vero circa *d*) *d*) Ochra flauefcente aut rufefcente confpergitur. Pondus glebae Vncias quatuordecim ferme explet.

Tabula XIII.

Cinnabaris natiua diues, inter Spathum luteum, in petra gryſea variegata, ex valle *Velkeria* Carpathi montis in Hungaria.

Explicatio.

Minera haec perquam pura eſt, adeo vt plerisque in locis Rubini inſtar ſplendeat. Venae directionem latitudinemque litterae

a) *a*) indicant. Vtrimque illa comprehenditur ſtrato Spathi lutei, hinc inde lamellati, & cum aqua forti modice effervefcentis, cuius habitum litterae

c) *c*) demonſtrant. Subiacens petra, ſub litteris

b) *b*) quae ſpathoſa adhuc eſt, tam ſingularibus Cinnabaris purioribus granis, quam materia ſimili impraegnatur.

Cuncta inſiſtunt petrae praedurae, paullum talcoſae, litt.

d) *d*) quae venis cinerei, lutei & albidi coloris interſtincta eſt.

In auerſa glebae parte neque circa petram, neque venam, notabilis differentia occurrit, praeter quod circa id latus, quod in icone ſiniſterius eſt, vena maximam partem exoleſcat, in dextro vero ea amplitudine, qua pingitur, continuet.

Pondus glebae totum octo vncias cum dimidia exaequat.

Tabula XIV.

Fig. I.

Pyrites aeroſus coloris profunde violacei ex fodina *Cupfer-Platten* vocata, ad collem prope Harra, ditionis Comitum Ruthenorum.

Expli-

Explicatio.

Inter rariores minerae aerosae prouentus gleba pertinet, pondus duarum vnciarum cum quadrante aequans; quae cum fragilis & molliuscula sit, ex pyritum classe non eximenda est, neque cum minera vitrea, vt vocatur, confundi debet. Vbi luci opponitur, versus litteram

a) *a*) nempe, & alibi, color violaceus omnium maxime conspicuus est, quantum videlicet licuit pictori, splendorem saturitatemque coloris imitari. Quod reliquum est de superficie anteriore, id praesertim, vbi litterae

b) *b*) locantur, farina nigra aut obscure fusca infucatum est, cui color violaceus passim intermicat. Pluribus autem locis, quales exempli caussa litteris

c) *c*) notantur, pyrites intense flauus solidusque emergit; is enim color minerae proprius est, cui violaceus solum superinducitur.

Postica glebae superficies penitus fere farina ista nigra et fusca obducitur, & pyritis flaui miculae variis in plagis exsplendescunt.

Primo intuitu crederet quis, glebam tostione demum ita mutatam fuisse. Certi tamen sumus, quod eodem, quo proposuimus habitu, e terra eruta sit, vbi halituum subterraneorum vi talem quoque nancisci potuit formam.

Tabvla XIV.

Fig. II.

Pyrites aeris intense flauus et eleganter versicolor, diues, ad saxum ex gryseo caerulescens, cum corio quarzoso, crystallis consperso, ex fodina *Noui Operis*,

ris, eiusque cuniculo profundo ad montem *Streitberg*, tres horae quadrantes Koeniza diſtantem.

Explicatio.

Pyrites hic ſolidus ob colorum elegantiam varietatemque ad eas referri poterit glebas, quas Caudas pauonum adpellare ſolent. Flauus quidem color dominatur praecipue in locis, quos littera

a) *a*) denotat; viridis autem admodum viuidus, quem litteris

b) *b*) indicamus, pluribus locis ſuperinducitur. Ruber adiungitur circa

c) ſuperne, dilutior, & circa

c) inferne, ſaturatior. Inter vtrumque demum caeruleus emicat.

Minera ipſa corio quarzoſo adponitur, quod duobus laminis dehiſcit, quarum ſuperior, circa litteram

d) ex ferri miſcela flaueſcit; quae vero nunc inferior eſt, et littera

f) ſignatur, cryſtallis minutiſſimis veſtita et ſcabra eſt, inter quas granula Ochrae ferri diſſeminantur.

Latera inclinata cuneat, et interuentu ſuo vincit Saxum, littera

e) indigitatum, praedurum, iners, ex cinereo caeruleſcens, quod glebae gratiam non modicam conciliat.

Superficies auerſa maximam quidem partem ex Pyrite ſaturate flauo parum verſicolore componitur, eo copioſioribus vero Quarzi albi pellucidi aceruulis permiſcetur.

Gleba anno 1749. effoſſa eſt, eiusque pondus integrum quatuor vncias attingit.

TABV-

TABVLA XV.

Argentum rude plumbei coloris et Argentum rude candidum, vtrumque fragile, cui marcaſita aurifera internitet, ad Quarzum cauernoſum album, paſſim flaueſcens, ex fodinis *Schemnizenſibus* Hungariae.

Explicatio.

Viſui magis iucunda, quam metallo nunc fertilis facta eſt haec gleba; cum tota halitu ſubterraneo exeſa ſit, etiamſi ditiſſimam mineram prius geſſerit. Non enim Quarzum ſolum pumicis fauaginoſi formam quaſi nactum eſt, ſed ipſa etiam metallica ſubſtantia plurimis cauernis tam exaratur, quam ſquamularum criſparum naturam ſequitur.

Metalli quoque color conſuetus halitu iſto alteratus eſt, et ex gryſeo in giluum deflectit, qualis interdum Cupro duro ſui generis eſſe ſolet; ſicuti eadem ex cauſſa illud adeo friabile redditum eſt, vt facile deteri poſſit, et manus inquinet.

Argenti rudis plumbei coloris ſitum litterae

a) *a*) circiter denotant.

Argentum vero rude candidum, potiſſimum circa

b) *b*) ſedem habet; vtrumque tamen per totam glebam diſperſum adhuc iacet, et vbique plurimum de ſubſtantia perdidit, quod fauagines ſatis declarant.

Marcaſitae vero minutae teſſerae, circa

c) *c*) et alibi haerentes, non vbique ita eroſae, ſed paſſim integriores deprehenduntur, forſitan propter Auri miſcelam, aut quia halitu ſubterraneo demum concreuerunt. Quarzum, quod littera

 d) qua-

d) quater definit, album et tota ſua compage penitus eroſum et ita ſubtiliter criſpum adparet, vt ſaccharatum opus quaſi aemuletur. Aliqua parte colore ſtramineo infectum eſt, velut eiusmodi glomer in medio glebae reſidet.

Tota ea ſuperficies, quae in icone ſiniſtra eſt et littera

e) ſaltem ex parte indigitatur, farina alba conſperſa eſt.

Poſterior facies forma in omnibus coincidit, ſaltem plus fere de ſubſtantia metallica fouet.

Pondus glebae, non obſtante mole ſatis notabili, non niſi Vncias quinque cum Drachma dimidia attingit.

Tabvla XVI.

Bismuthum ſolidum, paſſim tenuiter ſtriatum, ad corium quarzoſum, ex cuniculo profundo fodinae, *Concordia* vocatae, *Johann Georgenſtadii*, in Saxonia electorali.

Explicatio.

Bismuthum, quod puriſſimum eſt, ſub bractearum nitidarum forma non ſolum diſperſum, ſed etiam in quandam quaſi venam diſpoſitum adparet, quae mediam glebam traiicit; reliquum vero minutim micat, ſplendore ex albo flaueſcente et rutilante ſatis diſtinguitur, et quibusdam locis tenuiter, ſed imperfectius, ſtriatum exſiſtit. Quod ſupereſt de gleba, colore ex gryſeo caeruleſcente infectum eſt, quod ab aliqua Cobaldi et Arſenici miſcela pendere videtur. Singula pictor bene adſecutus eſt.

Solidiſſima glebae portio littera

a) quater poſita comprehenditur; verſus illud vero latus, quod littera

b) *b*) indigitat, Quarzi albi particulas inſperſas gerit, et aliquot.

quot cauernulis praeditum eſt, quibus cryſtalli minutae, partim albae, partim nigreſcentes inhaerent.

Corium, ad latus ſiniſtrum iconis ſub litteris

c) *c*) occurrens, ex Quarzo ſordide albo conflatur.

Auerſa glebae portio per omnia ſimilis eſt deſcriptae et aeque ferax.

Pondus Libram vnam communem, cum quatuor Vnciis et ſemiſſe, omnino aequat.

TABVLA XVII.

Stannum polyedron, cryſtallis mediae magnitudinis, oblongis, maximam partem nigris, paucioribus albis, ad Quarzum ſordide album, *Eibenſtockii* Saxoniae erutum.

Explicatio.

Stanni, quod veteres Plumbum candidum vocarunt, gleba haec abſolutioris metalli eſt, et ex meris lapillis irregularibus, plerumque oblongis, mediae magnitudinis conſtat, quorum illi, qui litteris

a) *a*) praeſertim interiiciuntur, forma et angulis priſmatum valde variant, quantum autem vltra reliquos exſtant, nigerrimi et laeuiſſimi, interdum etiam leniter ſtriati ſunt. Reſidua glebae compages, inter

b) *b*) *b*) comprehenſa, diffractis partim inter effodiendum cryſtallis, partim propter earum arctiorem contactum minus ſplendida et aſpera adparet.

Nigris vna alteraue cryſtallus alius coloris intermiſcetur: videlicet binae flaueſcentes, e regione litterae

c) occurrunt, albae vero aliquot, paullo inferius et circa litteras

d) *d*) potiſſimum obtinent.

Quar-

Quarzum, cui minera adhaeret,

e) *e*) ex albo rubiginoſum eſt, ob ferri miſcelam, eiusmodi glebis familiarem, metallo tamen non penitus caret.

Poſtica glebae facies magis detrita, lapillos integros pauciores et minores nigros, plures vero, quam anterior ſuperficies, ex aqueo albos, modice perlucentes monſtrat.

Pondus glebae Libram vnam cum Vnciis quinque et ſemiſſe aequat.

TABVLA XVIII.

Cuprum nudum, bracteolis partim puriſſimi coloris, partim fuſcis, Spatho ponderoſo lactei coloris incumbens, cum aliqua parte Cupri rudis fuſci, ex fodina *St. Georgii*, prope *Rippoldsau*, ad Syluam Nigram.

Speciem conciliat huic glebae albedo Spathi, quo tota conflatur. Cuprum nudum non ſolum ſuperficiei adſpergitur, vel ſatis denſe incumbit, ſed et omnes fiſſuras, quae innumerae et tenuiſſimae ſunt, largiter replet, veluti in fracturis transuerſis lineae fuſcae, interdum lucentes, manifeſtant. Bracteolae mox puriſſimae, mox fuſco colore aliquantum infucatae ſunt.

Iis in locis, quos litterae

a) *a*) *a*) denotant, Bracteae plurimum conſpicuae deprehenduntur in latum expanſae, dum reliquae transuerſim fractae lineis ſeſe produnt, multo pluribus, quam iconе exprimi potuerunt, totam ſpathi maſſam eiusque laminas peruadentibus, quae circa litteram

b) in pyramides, vertice deorſum ſpectantes, pulchre ordinatae ſunt.

Verſus inferiora inter litteras

c) *c*) Cuprum rude haeret, intenſius fuſcum et hinc inde in lateritium vergens, cui Sulphur formam, Ferrum colorem dedit. Paſſim tamen et hic Cuprum abſolutius ſeſe miſcuit.

Auerſa glebae pars aeque magnam quantitatem Cupri nudi, ſimili modo diſtributi continet; bracteolae, etſi interdum maiores, paullo tamen obſcuriores et halitu ſubterraneo in fuſcum mutatae ſunt.

Pondus glebae Libram vnam proxime aequat.

Tab.

Tabvla XIX.

Pyrites Arsenici candidus, mixtus lapide corneo nigro & Lapide Nephritico, ex Fodina, ab *Asino Aureo* nomen ducente, *Reichensteinii*, in Silesia.

Explicatio.

Minera haec miscelae suae singularitate et raritate plurimum sese commendat; ob quam caussam *Cel.* Lehmannvs istam quoque aliquo loco praedicat. Reddit autem ad mediam vsque ponderis partem Arsenicum; de caetero tamen ipsa ista est minera, Auro adeo praegnans, quae non solum olim Fodinae nomen dedit, sed et Oppido ipsi famam et opes prisco aeuo praestitit. De Auri interim nudi colore nullibi in hac Gleba ne micula quidem neque nudis neque armatis oculis dignoscitur.

Ex Pyrite vero candido, solido et admodum ponderoso tota quidem gleba conflatur, veluti litteris

a) *a*) *a*) indicatur, vbi etiam passim bracteis lucentibus instructa est, de reliquo vero parcius splendet.

Lapis corneus aterrimus, durae et tenerae compagis, toti quidem glebae per particulas admiscetur, in locis vero, litteris

b) *b*) *b*) notatis, partim purior, partim Lapidi Nephritico mixtus haeret.

Nephriticus vero Lapis solus, ex luteolo virescens, iis potissimum locis, quae litteris

c) *c*) *c*) circiter indigitantur, medium magis glebae traiicit.

Inter vtrumque lapidem, corneum nempe et Nephriticum Pyritis striae frequenter sese insinuarunt.

In auersa glebae parte, quae picta non est, Pyriti candido pau-

 culum

culum Pyritis flaui immixtum occurrit, atque lapis corneus, rubro colore tinctus, passim nigro confunditur.

Totum Glebae pondus, sub modica hac mole, Vncias tamen quatuor cum semisse aliquantum superat.

TABVLA XX.

Stannum partim polyaedron, partim magis informe, cum Pyrite candicante et Fluore tam purpureo quam virescente, ad petram corneam, ex puteo Machinarum, fodinae circa *Ehrenfriedersdorf*, Saxoniae superioris.

Explicatio.

Crystalli minores et reliqua, quae metallum fouent in hac gleba, oculis minus quidem placere videntur, etiamsi fertilitate speciosioribus parum cedant. Nihilo tamen minus Gleba speciem accipit, ex Fluore, qui eam non parum ornat.

Minera ferax dexteriora glebae magis occupat, quae litteris

a) *a*) *a*) notantur. Superne albido quasi corio aliquantum inuoluitur, et ex plurimis crystallis minoribus, dense compactis, conflatur, quibus passim aliquae maiores intermiscentur, quas litterae

b) *b*) praesertim indigitant.

Hinc et inde, praecipue vero in plaga, quae litterae

c) respondet, Pyritis Arsenicum praebentis portiones intersperguntur, quae subcandido colore statim distinguuntur.

Sinisteriora Glebae, quae litteris

d) *d*) praenotantur, tenet Fluor amethystizon, superne dilutiore, inferne saturato purpureo colore spectabilis.

Huic conterminae sunt particulae aliquot Fluoris ex caerulescente colore viridis, quas littera

e) cir-

e) circiter denotat.

Petra, cui Minera adhaeret, dura et paſſim quarzoſa, gryſei coloris, veluti litterae

f) *f*) monſtrant, non tamen penitus inanis eſt, ſed paſſim particulas feraces tam ſtanni, quam pyritis candicantis inſperſas gerit.

Pondus Glebae quatuor Vncias cum ſemiſſe attingit.

TABVLA XXI.

Pyrites antimonialis candidus, partim ſtriatus partim informis, ponderoſus in Quarzo albicante ad petram rufeſcentem, ex Fodina, *Roſa Argentea* dicta, prope *Gold Cronach*, in terris Baruthinis.

Explicatio.

Pyritem hunc metallicolae antimonialem vocare conſueuerunt, quia aut cum Stibio foditur, et eius forte non penitus expers eſt in hac gleba, aut ſtrias illius ſaltem imitatur. Selegimus eam glebae ſuperficiem, quae ob colorum varietatem oculis magis placere poteſt. In hac igitur Pyrites partim venae inſtar petram traiicit, partim vage inſpergitur. Vbi venae inſtar Glebam diuidit, veluti litteris

a) *a*) *a*) *a*) adnotatur, duplex eius forma eſt, mox enim ſtriatus reperitur, et per glomeres diſpoſitus, fibris ex centro communi radiantibus, ſicut in dexteriore iconis parte conſpicitur. Alibi, nempe verſus ſiniſtra iconis, magis informis et ſolidus, nitidus tamen eſt, vel ſtriae absque ordine procurrunt.

Pyritem vbique comitatur Quarzum, cuius diſtributio litteris

b) *b*) *b*) indicatur. Eſt illud generatim opacum, aliquando lactei coloris, maximam vero partem impurius in cinereum colorem vergens.

Petra adiacens, quam litterae

c) *c*) indicant, coloris eſt pallidi, de lateritio aliquid habentis.

Venulae

Venulae Quarzi albi vario ductu eam traiiciunt. Vbi fissurae exsistunt, ibi Talci nigri laminae sese insinuarunt.

Supremum in icone parietem Glebae tegit corium talcosum, viridis coloris, in quo copiosae tesserae minutae pyriticae subflauescentes resplendent.

Auersa Glebae facies, quae picta non est, plus fere de Pyrite antimoniali monstrat, eiusque striae plerumque vel absque ordine locantur, vel transuersim in vnam plagam vergunt. Plurimis locis eius substantia solida est, passim autem Glomeres radiantes etiam admiscentur. Vno demum in loco aliquid de Pyrite flauo deprehenditur. Petrae ambientis vero color paullo ignobilior est.

Ponderosum admodum hoc quoque Minerae genus est, siquidem Gleba Libram Vnam communem cum quatuor Vnciis pondere attingit.

Tabvla XXII.

Spathum columnare ſtriatum candicans, e cuniculo putei *Laurentii* transfluminali menſurae ſecundae, tertiae et quartae inferioris, effoſſum *Freybergae* in Saxonia electorali.

Explicatio.

Spathum hoc non admodum frequenter occurrit in iſtis locis; vbi vero inuenitur, a metallicolis propter inſigne pondus in mole exigua, pro plumbi nigri minera falſo habetur. Ex cel. de *Juſti* ſententia Zinci potens eſt, quam ob rem, cum Zinci nudi minerae non occurrant, glebam in huius mineralis cenſum retulimus, eiusdemque ſignum Tabulae praefiximus. Probe interim cauendum eſt, ne Glebae eiusmodi, ob ſimilitudinem aliquam in facie externa et concretionis modo, confundantur cum Zeolitho, apud Celeberrimum *Cronſtedtium* occurrente, a quo, ut alia taceamus, ſolo pondere iam ſatis dirimitur. Gleba interim noſtra, ex meris columnis componitur, quae vario ſitu mox ſibi adcumbunt, mox ſeſe decuſſant, modo a ſe recedunt, modo ad ſe inclinantur inuicem. Singulae columnae ex ſtiriis minoribus teretibus, in faſciculos collectis, extus ſtriatis et anguloſis, intus ſolidis conflantur. Maioribus columnis paſſim ſtiriae eiusmodi ſolitariae, pili aut fili inſtar tenues, interſternuntur, quod praecipuam glebae gratiam conciliat.

Columnae ipſae litteris

a) *a*) *a*) indicantur. Earum apex inter fodiendum abruptus non eſt, ſed ſua natura reſectus adparet, neque etiam columnae facile longiores fuerunt, cum cruſta quadam ibi tegantur.

Color plurimis locis ex lacteo candidus eſt, non perlucens: auerſa glebae ſuperficies, quae picta non eſt, paſſim flauedine aliqua infucatur.

Crusta, cui gleba in icone insistit, litteris

b) *b*) notatur, aliquantum rubiginosa et intense flaua est, passim vero pollen albus farinosus et frabilis adhaeret, ex spathosa materie ipsa componi videtur.

Pondus lapidis huius admodum insigne inde iam cognoscitur, quod gleba, cuius mensuram pictor et chalcographus ex incuria paullum auxerunt, pondus quinque unciarum cum dimidia attingat.

TABVLA XXIII.

Viride aeris crystalinum, in tubera coagmentatum, laminis Spathi albi adcumbentibus ornatum, ex tractu *Rosenhofensi* regionis *Hercynicae* superioris.

Explicatio.

Tam ob configurationis modum, quam concrementi indolem perquam commendabilis est gleba, cuius modicam saltem partem figurauimus, cum totam molem integra Tabulae area capere nequeat.

Eiusmodi glebas in hiatibus subterraneis venarum metallicarum concrescere satis notum est. Eadem de caussa gleba haec vndique tuberosa euasit, et montem quasi, variis latebris et cautibus exstantibus vbique inaequalem praefert. Tubera, quae in vniuersum litteris

a) *a*) *a*) signantur, ex stiriis minutissimis teretibus, solidis, obtusi apicis, iuxta se positis, sed extrorsum diuergentibus conflantur, quibus Spathi concrementum plerumque pro nucleo est. Tota stiriarum substantia amoenissimo virore perfusa est, et modice perlucet; formam vero earum icon ad litteram

d) aucta per lentem magnitudine ob oculos ponit, et declarat, quomodo Cuprum, prius solutum, denouo in crystallos istas crustae instar concreuerit.

Interiora glebae spathum praecipue occupat, quod non solum variis locis, veluti littera

b) indi-

b) indigitatur, venae inſtar albidae ad ſuperficiem emergit, ſed et mox laminarum rhomboidalium, mox columellarum oblongarum ſub forma inter Viride aeris partim diſſeminatur, partim ipſi inſternitur. Columellarum, quas Spathum album non coloratum exhibet, facies externa a Viridis aeris deſcripta fabrica non niſi ſolo colore recedit et magnitudine, quae Spatho prae Viridi aeris competit. Laminae vero rhomboidales, littera

c) magnitudine aucta propoſitae, ex ſimilibus columellis etſi grandioribus adhuc et ſibi inuicem adpoſitis, compingi videntur.

